ANTONII FRANCISCI PELICANI

PROTH. APOSTOLICI.

ORATIO,

HABITA IN CATHED. MACERATEN.
Inter Miſſarum Solemnia.

In die Feſto S. IVLIANI Confeſſ.
A quo habet
Titulum Eccleſia
Tutelam Ciuitas.

SACRA MYSTERIA OPERANTE
ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

D. CARDINALE CENTINO

EPISCOPO MACERATEN.

Die vltima Augusti 1628.

Macerata, Ex Officina Iuliani Carboni.
Epiſcopalis Impreſſoris. 1628.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ANTONII FRANCISCI PELICANI

PROTH. APOSTOLIC.

ORATIO

HABITA IN CATHED. MACERATEN.

Inter Miſſarum Solemnia.

In die Feſto S. IVLIANI Confeſſ.

ad quid Iudex

Tantum Eccleſia

Tantum Caput.

SACRA MYSTERIA OPERANTE ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

D. CARDINALE CENTINO

EPISCOPO MACERATEN.

Die vltima Auguſti 1638.

Macerata, Ex Officina Iuliani Carboni.

Superiorum permiſſu. 1638.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

ECCLESIÆ PRINCIPI

FELICI CARDINALI CENTINO

MACERATENSIVM ANTISTITI.

ANTONIVS FRANCISCVS PELICANVS F.

VERSANTE *Anno temporis rotam, & tua rota benignitatis tuum in me reuoluit imperium, Cardinalis Ampliſſime: Iuſſiſti me iterum, de Diuo* IVLIANO *perorare, audiſti iterum perorantem, venire nunc geſtit ad tui conſpectum Oratio. Habuit ab ore natalem, in aure cunas, appetit modò afflatum purioris luminis oculorum. Vis oris fœcundauit ingenium, vis auris locupletauit infantiam, vis oculorum ſplendore ditabit tenebricoſam inopiam:*

*geſtit inquam: nam & margaritæ lætantur oſten-
di ſe Cælo, à quo habent rorem, ac lucem opifi-
cem; & aurum, cum egeritur, vel effoditur, gra-
tatur ad radios Aſtri genitoris. Indulgeo partus
ingenio (Pater alioqui non facilis) delinitus na-
tæ bladientis illicijs; an fortaſſe durior indulgen-
do, qui præli tortura, vagientis adhuc fœtus tenel-
la membra committo? Sed, & concha mater hiat
in gratiam prolis, aeriſq; exponit iniurijs, & terra
parens euiſcerari ſe gaudet in obſequium ſobolis
pretioſæ, quam etiam ab aluo tranſmittit in ignem.
At quò labitur calamus? An hæ margaritæ? An
hoc aurum? minimè verò: ſed planè* IVLIANI *ſunt laudes,* IVLIANI *præconia; ſi quid in ijs eſt
gemmeũ, ſi quid aureum, tuum eſt; tu illis Cælum,
tu illis Sol; quicquid eſt terrei, quicquid teſtacei,
meum eſt. Verum adhibe operatricem iſtam
oculorum vim; terra vertetur in aurum, teſta
tranſibit in gemmam. Vale Eccleſiæ Catho-
licæ bono. Nonis Septembris* 1628.

ORATIO.

ALA temporis non errante, & per obliquas Cæli vias menſium orbita decurrente, rediuiua luce è quotidiano funere tenebrarum, gratiſſima nobis dies illucet, Cardinalis Ampliſſime, quæ luminis ampliore compendio, vmbrarum damna breuiora dum reparat, ingerit nobis, animorum penetrale peruadens, & cordium arcana recludens, de Sanctiſſimi Viri IVLIANI, Patroni noſtri feſtiuitate lętitiã. Quam apertè non minuit, nèc ſenſim carpit expectatio inſenſili decremento, ſed auget: neſcio enìm quo modo morem communem officiosè tranſgrediens augeſcit gaudium populare, dum ipſa expectatione hodiernę celebritatis animus incaleſcit, & ſuſcipit pietas intercurſu temporis incrementum. Decreſcat ſanè expectando lætitia, cuius obiectum diutiùs contemplando vileſcit; Iuliana Feſtiuitas, vndequàq; ſi ſpectes, vel cenſorio ſupercilio, ſolida habet, & vera argumenta iucunditatis; & ſi per cuncta veſtigia, vel

Ariſtarchęa nare te feras, cuncta ſpirant odorem, redolent omnia ſuauitatem, qua perfundatur animus, qua illectus per lętitię campos geſtienti pede deſiliat. Ecquid enim, vt inde ordiatur Oratio, vbi vita perorat, ibi iucundum non erit, vbi eſt iucunda mors ipſa? quæ ſolet eſſe materies luctus, regia mœroris, officina doloris, theatrum planctus, ſcaturigo fletus, ærarium lacrymarum, meta formidinis, vltimum terribilium: vbi mors ipſa generoſo transfugio tranſit in vitæ partes, & fit è letho natalis, tranſuolatq; in caſtra lucis ex acie tenebrarum: vbi mors formidinem abigit, lacrymas neſcit, fletum tergit, planctum ſedat, dolorem arcet, mœrorem fugat, luctum dediſcit, & quaſi prodigioſa phœnix è cinere vitã parturit immortalẽ. Tàm potens eſt enim conuiuator æternus, vt in menſa, quam parat amicis ſuis, in epulas vitæ ferculum lethale commutet, & in poculo mortis fluenta propinet æternitatis.

Non enim ſi referatis oculos mentis in decurſa temporum ſpatia, & in ſeriem ſæculorum reciprocetis obtutum, cogitetis velim AA. in morte IVLIANI, funeralem rogum, ferales faces, vrnam, & cinerum conditorium; procul hęc, procul à ditione lætitiæ, ſpectra mortalitatis, tormenta luctus, machinamenta lacrymarum,

doloris

doloris irritamenta; rogus enim tranſiuit in con iugales thedas, Vrna in thalamum nuptialem, in quo anima Iuliani ſponſi Cęleſtis potitur amplexibus, æterno confœderata connubio. Nec verò exhorruit paricidæ amplexus miſericors Deus, ſed ruit in oſcula pœnitentis, quandoquidē pœnitentium dolor eſt gaudium Beatorum; Luc. 15.
nec Erythrearum ſoboles pretioſa cōcharum, ad incrementa decoris, tantùm appetitur auiditate fœminea, quantùm exoptat Sponſus Cœleſtis, in decus Empirei margaritas, doloris ingenio fabrefactas è rore lacrymarum in conchilijs oculorum. Non, inquam, exhorruit paricidij culpam, nam maculam criminis, pietatis aſpergine IVLIANVS abſterſit, lauit labem cruoris alluuione doloris, & criminum colluuiem virtutum diluuie inundauit. Quam enim virtutem in ſuo deducit ſatellitio ſanctimonia, quã non incedat IVLIANI Sanctitas comitata? Non eſt quòd ſingulæ decurrantur oratione feſtina; aurium faſtidio occurram ieiunus orator, amplectar omnes verborum epilogo, imò omnes vnius verbi periodo claudentur. Hoſpitalis, Hoſpitalis fuit IVLIANVS. Hanc verò virtutē tanti fecit Antiquitas, vt Iouem illum, Numen quidem fabuloſum, ſed tamen apud ipſam Diuorum, atq; hominum apicem, Hoſpitalem

 inſi-

Theo. phraſ. & Tull. 2. de offic. inſigni titulo prædicarit, hanc etiam veteris ſapientiæ proceres præcipuè commendarũt. Sed in veri numinis templo taceantur numina fabularum; in ſacris, & à ſacro Oratore arceantur prophana litterarum, interq; veræ ſapientiæ Antiſtites ſileantur, qui fucatam, & vmbratilem ſapientiam ambitionis mercimonio venditabāt.

Gen: 18. Agnouit huius momenta virtutis Pater ille credentium Abraham; itaq; dùm hoſpites præſtolatur, Deum receptat hoſpitio, & Hoſpitalitatis pretium fuit cognitio Trinitatis. Gen: 19. Senſit eiuſdem vberes fructus, cognatus illius Loth, dum hominum facie Cælicolas excipit, & hoſpitum beneficio liberatur ab igne, quem Cęlum naturæ vindex euomuit. 3.Reg 17 3.Reg 4. Senſere mulieres illæ inſignes hoſpitio prophetarum, apud quas hoſpitalitas è penuria parit annonam, reſolutis naturę legibus aluum fœcundam facit è ſterili, & geminata victoria de morte triumphat; ſoluitq; per eam vita reſurgens, conceſſa fœcunditas, & donata vbertas hoſpitij penſionem. Senſit poſterioribus ſęculis magnus ille veterũ ęmulator Gregorius, cui ſe cœlites, cui ſe cęlitum dominator tradidit hoſpitandum. Huic vni virtuti refert acceptas Bethania, Lazari vitam, ſanctitatem Marthæ; lacrymas Magdalenæ. Accepto Luc. 19. fert huic Princeps ille publicanorum manumiſ-

ſionem

ſionem ſui è ſeruitute pecuniæ, huius enim ope
virtutis è ſeruo ad metalla damnato cupiditatis
imperio, in libertatem gloriæ filiorum Dei fe- Rom.
lici pede tranſilijt. Hoſpitales demùm actus in 8. 21
ſe reciprocat Chriſtus, ac terreno hoſpitio re- Matth
promittit æthereum domicilium: Et meritò; 25.
ecquam enim virtutem, quod antè dicebam, in
illo viro deſiderabitis in cuius hoſpitio hoſpi-
tium obtinet hoſpitalitas? fidem? at in eius ma-
nibus, & operibus eluceſcit, non in ore, ac ina-
ni verborum fulgore ſplendeſcit: ſpem? at qui
terrena diffundit, vt diuina mercetur, in Cęlo ſpē
locaſſe conuincitur: Prudentiam? quis verò
prudentior, qui terræ quiſquilias commutat in
Cęli gemmas, & morituras opes in æraria ęter-
na transmittit: temperantiam? at neceſſe eſt
ſibi eſſe frugalem, qui in hoſpitum commoda
diuitiarum fontes perenni defluxu corriuat: iu-
ſtitiam? quis illo iuſtior, qui nata in hominum
vſum diſpergit hominibus: animi Robur, &
fortitudinem? at facile eſt exteros debellare,
auaritiæ monſtra proſternere opus eſt arduum,
quod iugi victoria peragit hoſpitalis. Tandèm
Regina virtutum eſt charitas, quę continet om- 1.Co-
nes ambitu pretioſo, ſine qua nullum eſt preti- rinth.
um cæterarum, qua qui caret, fruſtrà diſtribu- 13.
at opes omnes in pauperum alimoniam, incaſ-
sùm ſe

ſùm ſe ipſe ſubijciat igni pœnali, flammiſq; vorantibus, inanitèr tolerет cuncta; quæ in corporis cruciatum, artuum lanienam, & damna membrorum excogitare potuit ingenioſa crudelitas. Hęc verò tanta, totaq; virtus hoſpitalitatis eſt ſocia, cum illa commercium tenet, icit fœdus, conſortium init, demùm cum hoſpitalitate habet hoſpitium; itaq; charitas ardet hoſpitum deſiderio, hoſpites hilaritèr excipit, benignè refouet, amplexatur amantèr, officioſa in omnia diſcurrit obſequia aduenarum. Videtis illìc Iulianum inermem, crura, & brachia denudatum, pręcinctum linteo, mitem, ac placidum, Amoris obſidem, miſerationis clientem, ad pedes hoſpitis humilitèr prouolutum, quem hìc ſpectatis erectum in pedes, eleuata ceruice, loricato pectore exporrecto, armata dextera, ſtricto gladio, irę ſatellitem, furoris mancipium, lictorem mortis, furiale ſcelus exequentem? fecit hanc rerum cataſtrophen Charitas hoſpitalis. Aſpicitis illìc lauantem humanitèr pedes exterorum, quem hìc ſauciantem lethalitèr capita ſuorum intuemini? mutatio eſt quidem hęc dexterę excelſi, ſed coniurarunt in hoc opus amicè charitas, & hoſpitalitas. Suſpicitis illìc vndis, an imbre lacrymarum? abluentem hoſpitum pedes luto, vel puluere ſordidatos, quem

tos, quem hìc horretis ſordentem cruore paren-
tum inſtare ferocitèr capitibus cruentatis? ma-
nus illic aquas irrigantes, hìc ſanguine manan-
tes? oculos illìc ſtillantes ſtillicidio doloris, hìc
micantes incendio furoris? commutauit hæc
charitatis ſocia hoſpitalitas. Subijcitis animo
IVLIANVM illìc parantem cibos ad vi-
tam, & ſternentem lectos ad requiem, quem
hìc cernitis vulnerantem exerto gladio ad ne-
cem, & in lecto, hoc eſt quietis regno, tumul-
tuoſa mortis imperia exercentem? illìc demùm
hoſpitis munia officioſè tractantem; hìc hoſpitij
iura omnia temerantem? mutauit hanc rerum
ſcenam charitatis conſocia hoſpitalitas.

At iàm terminetur oratio, ne dùm nimium in hoſ-
pitalitate vagatur, nullum inueniat apud Au-
ditorum aures iàm iàm faſtidij plenas hoſpiti-
um. Quamquàm non vereor, ne de hoſpitalitate
loquentem libentèr excipiant Maceratenſes,
quibus Tutelaris Diuus eſt hoſpitalis, quos ipſa
Patria præſtare docet hoſpitium, vel peregri-
nantibus ad Deiparam, vel confluentibus ad prę-
toria. Nec etiàm reformido, Cardinalis Am-
pliſſime, quìn perhumanitèr audias de hoſpitali-
te perorantem; ſi quidem inter Epiſcopi mu- 1.Tim. 3.
nia deſcribitur hoſpitalitas, tu verò, vt cęteras ad Tit. 1.
partes adimples, ità magnificè ſuſtines hãc Pro-

uinciam;

uinciam ; rem loquor omnibus notam, quam omnium ore commendat, & plauſu, alacritas inuitantis, excipientis hilaritas, & largitas apparantis, tibi vni frugalis; profuſioris in hoſpites; ſi profuſio dici poteſt, vbi beneficentiæ menſura eſt carere menſura, & largitatis modus eſt ſine modo. Cunctis demùm grata debet eſſe hoſpitij prædicatio, quando nos omnes hoſpites agnoſcimus, & peregrinos; ſi velimus cęleſtis Hieruſalem eſſe conciues.

Sed in te, ſed ad te mea peroret oratio, Iuliane Sanctiſſime, Tu hoſpitando terrenos in tempore, inueniſti apud Cęleſtes, & Diuos in æternitate ſtationem: hoſpitales illi labores, hoſpitales curæ æuiternam tibi requiem peperere. Nec dubito, quin cum Gregorio, cum Abrahamo, cum Loth, hoſpitio exceperis ſub hoſpitum facie nunc Angelos, nunc Dominum Angelorum. Luc. 24. Illemet, credo, Chriſtus, qui peregrinantibus diſcipulis ſe comitem iunxit, & peregrinum finxit, tibi hoſpitanti aduena occurrit, & peregrinus, & ſuo aduentu terreſtre tuum cęleſte fecit hoſpitium. Rependit ille nùnc vicem cum fœnore copioſo; tibi iàm hoſpiti terræ cęleſtem retribuit manſionem, vbi non peregrina ſpecie fallit amantèr humanam aciem oculorum, ſed ſua, hoc eſt diuina facie reuelata ſe totum tibi

tum tibi

tum tibi fruendum donat, & ſitientem amoris æſtu animum torrente proluit voluptatis. Eia igitur age, IVLIANE Pater Sãctiſſime, funde pro nobis preces; Hic te Populus tibi deuotus adorat; hęc tua eſt MACERATA, quæ ſub tua viuit clientela, tuo ſe tutam reſpicit patrocinio; precare illi cuncta proſpera, & ſecunda. Si verus Iuppiter iratus in noſtra crimina, è Cælorum armamentario tempeſtatum, ac turbinum tela depromit, ſi Cælum nobis inimicant noſtra flagitia, ſi noſtrarum multitudo culparum Cęlo deuocat in ſata campoſq; grandinem debacchantem, ſi aer militans in obſequium creatoris graſſantem per omnia luem minitatur, ſi terra motibus quaſſatur inſolitis, & vel quaſi tremens ad iram Domini vltionum, turres concutit, quatit arces, vrbes diruit, & ſolo æquat, Cęlumq; ſuperbè æmulantia ædificia vertit in tumulos ſuperborum; vel ponderoſam, & heù nimiùm grauem humanorum ſcelerum molem ſuſtinere vltra non ferens, ſecedit in partes, ingentes aperit voragines, & hiatus, dehiſcit in barathrum, ſcinditur in abyſſum, Tu, Tu, inquam, procumbens in genua, culpis veniam impetrando, auerte à nobis hanc malorum iliadem; ſiſte te obſidem apud Deum; promitte, concipe pro hoc Populo vadimonium; Sta quaſi

alter

Pſ. 105 alter Moyſes in confractione, in conſpectu Domi-
Exod. 32 ni Sabaoth! Impetra adoleſcentibus caſtimoniam, mulieribus ſanctimoniam, ſenibus prudentiam, omnibus concordiam; ita ſub Antiſtite FELICE erunt cuncta felicia. Hoc vnum demùm ſit inſtàr omnium. Agnoſcat hic Populus te hoſpite deprecante, ſe hoſpitem in terris, & peregrinum; tunc enim in Cęlis habebit hoſpitij manſionem, non ad modicum temporis duraturam, ſed temporis neſciam, coæuam æternitatis. Dixi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE